

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 11.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

circa jura, quae jam existunt, conservanda. Ubi ergo nullum jus, quod conserves, adest, vel ubi lex cogens, et quae voluntate privatorum mutari nequeat, obstet; nec protestationi ulla tribuenda est vis et auctoritas.

## §. 11.

Obstare huic assertioni quodammodo videtur, quod secundum sententiam vulgarem jura quaedam et remedia non nisi post protestationem cambialem factam existere censentur. Quod quamquam verissimum est, nec ulli dubitationi expositum, haec tamen ipsa remedia protestatione non gignuntur, sed solummodo conservantur. Non enim negligendum est, jura illa, ad quae conservanda protestatio cambialis dirigitur, non nisi facta conditionalia esse, ipsamque illam conditionem in incerto casu et fortuito poni. Oriuntur ergo jura prius ex factis istis, et protestatione tantum conservantur; attamen ea ipsa protestatio, ut valida sit et effectus suos producat, factorum istorum mentionem atque testimonium de iisdem contineat necesse est.

## §. 12.

Accedit, quod ipsi protestanti quidam sint actus suscipiendi, iidemque certo tempore peragendi. Quos nisi vel tempore praescripto vel justo ritu exsequatur, culpae suae id tribuat, culpam hanc ipse sentiat, nec jura inde pendentia, uti alias, nanciscitur. Quanquam igitur in genere a factis alienis proxime profiscantur jura per protestationem conservanda, tamen ut ista facta vim suam exferant, actiones propriae sedulo et accurate peragen-